



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Senonensi Archiepiscopo.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20006**

*Præposito & Conventui Montis-Sereni.*

Epist. 10.  
Indulgetur eis  
ut carnes com-  
medere possint.  
Vide Chroni-  
Montis-Sereni  
pag. 70. & seq.

**E**Xposuisti nobis, fili Præpositæ, in nostra præsentia constitutus quòd cum Ecclesia vestra sit in excelsi montis cacumine constituta, & distet non modicum à locis illis in quibus piscium conuenit abundantia inueniri, non potest vobis congruè in esu piscium provideri. Propter quod humiliter postulabas à nobis ut vobis infra septa Ecclesiæ vestræ vescendi carnis licentiam præberemus, cum necessitas postulet, & utilitas hoc requirat, quia sufficientiam piscium absque magnis expensis habere nequitis, & abstinere tam à piscibus quam à carnibus gravissimum reputatis. Nos igitur ex hoc devotionem vestram in Domino commendantes, quòd sine speciali licentia nostra consuetudinem Ecclesiæ vestræ infringere nolueritis, præsentibus vobis pagina taliter respondemus, quòd cum regula beati Augustini, quam estis professi, vobis esum carnis non inhibeat, sed concedat, vos secundum tenorem regulæ, nisi voto vos astrinxeritis speciali ab esu carnis penitus abstinere, carnes certis & statutis diebus, dummodo sine scandalo fiat, de nostra licentia comedatis. Sic autem id moderatè fieri concedimus quòd & regularis ordo seruetur illæsus, & vos hoc videamini non ad saturitatem sed ad necessitatem potius postulasse. Datum Laterani XI. Kal. Aprilis.

*Senonensi Archiepiscopo.*

Epist. 11.  
Pro absolutione  
Nivernensis  
Episcopi.

**N**on tam Petro quam petra &c. pro absolutione Nivernensis Episcopi, usque ad satisfacere plenè volens, nuntium suum ad sedem apostolicam destinavit, per quem &c. usque supplicatur. Nos igitur eidem laborem itineris de consueta sedis apostolicæ mansuetudine relaxantes, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus quatenus ab eo quod mandatis apostolicis pareat &c. usque suspendimus ad cautelam. Datum Laterani XVII. Kal. Aprilis.

*Abbati sancti Dionysij, Priori sancti Martini de Campis, & I. Magistro scholarum Aurelianensium.*

Epist. 12.  
De recipienda  
purgatione ca-  
nonica Archi-  
diaconi Carno-  
tensis.  
Cap. Cùm di-  
lectus. De pur-  
gatione canoni-  
ca.

**C**ùm dilectus filius P. tituli sancti Marcelli Presbyter Cardinalis dudum in regno Franciæ legationis officio fungeretur, & Ecclesiæ Carnotensis, quæ inter Ecclesias Gallicanas multa consueverat religione florere, debitæ visitationis sola-

tium impendisset, sicut ex conscriptis & dictis ejus accepimus, domum Dei factam domum negotiationis & negotiatores assidue vendere in templo Dei columbas inuenit, & vineam Domini Sabaoth, quæ uvas facere consueverat, conversam in amaritudinem vitis alienæ germinare la-brucas. Sanè inter alia quæ ibidem sibi reprehensibilia occurrerunt, dilectum filium Henricum majorem Archidiaconum de suæ dignitatis emptione, multisque aliis, nec etiam nominandis, didicit publicè infamatum. Vnde, ut saltem de multis quæ ibi corrigenda erant, quoniam in agro illius Ecclesiæ pro frumento tribulus & spina pro hordeo nascebatur, animadvertissè aliqua videretur, eum suspensionis duxit sententiæ supponendum, venerabili fratri nostro Episcopo & dilectis filiis Abbati de Sarnaio & magistro G. de Duaco Canonico Parisiensi mandans & in virtute obedientiæ districtè præcipiens ut ipsam sententiæ, cum aliis quæ statuerat, infra quinque dies post susceptionem literarum suarum tam suspenso quam aliis publicè intimarent, sicut ex rescripto Cardinalis ejusdem perpendimus eviderenter. Consequenter verò idem Archidiaconus ad præsentiam nostram accedens, super imposito sibi crimine simoniæ suam nitebatur innocentiam, canonicam super hoc purgationem coram nobis offerens, demonstrare, humiliter postulans, purgatione recepta, suspensionis per nos sententiæ relaxari, cui subjectus fuerat præter suorum exigentiam meritorum. Nos autem, ut hujusmodi purgatio, si præstita fuerit, debitum consecutus effectum, eam in partibus vestris fatius credimus exhibendam, quatinus ubi malum ortum fuerat, moriatur, & auferatur scandalum de cordibus aliorum quos fama vel infamia veriùs tanti mali reddiderat tristiores. Cùm igitur de prudentia & honestate vestra indubitata fiduciam habeamus, vices nostras vobis in hac parte duximus committendas, per apostolica scripta mandantes quòd nisi post denuntiationem indicendæ purgationis publicè factam in Ecclesia Carnotensi legitimus accusator, vos ei purgationem canonicam indicatis ad minus tertia manu sui ordinis exhibendam, qua præstita, & suspensionis sententiæ relaxata, boni cum testimonij nuntietis, arctius inhiabentes ne quisquam ipsum super hoc deinceps molestare præsumat. Si verò indictam sibi purgatio-